

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

Non minus multa singularia nostra aetas in Caesare *Mathia* vidit et experta est. Cum ingenti quondam exercitu in regnum Boemiae ingressus est coronamque regni Hungariae spe melioris boni consequendi a fratre *Rudolpho* Hungaris restitui institit, quam mitissimus imperator maioris mali et incommodi gratia eidem cum magna pompa remisit; insuper Moravia utraque Austria pariter illi cēssit. At clementissimus Archidux vix in Austriam reversus est, eosdem illos, quibus auxiliatoribus coronam Hungaricam a Caesare quasi extorsit, rebelles et resistentes cum magno suo fastidio sensit, quibus tandem volens nolens contra maiorum suorum exemplum libertatem religionis uti vocant evangelicae concessit sive potius permisit. Imo superiores Austrii non expectata hac in re ulla resolutione in omnibus septem urbibus provinciae uno eodemque die simul praedicantes per vim introduxerunt. Quae res quanta post se mala attraxerit, non est huius loci pluribus explicare. Ipso mitissime regnante furiosi et male consulti Boemi *Pragae* ipso absente aliquos praecipuos consiliarios pro suo libitu sine omni aliquo praevio iudicio per fenestras in altissimam fossam praecipitarunt. Ex quo temerario casu et facto non solum in regno Boemiae sed ubique locorum in circumiacentibus provinciis atque adeo tota Germania tanta seditio tantumque malum consecutum est, ut haud dubium fuerit, quin haec omnia ipsius temporalis mortis non minima causa extiterint. Omitto multa alia, quae in hoc clementissimo mitissimoque imperatore plane rara et quasi nova visa sunt. Quis porro Imperatorum a tempore Caroli Magni una et simul tot tantosque adversantes habuit quam modernus infractus et animosissimus Imperator *Ferdinandus II.*, praesertim antequam suum regnum confirmarit? Ab effoeminato suo capitaneo *Paradeisero* statim in principio sui regiminis munitissima illa munitio arx et civitas *Canischa* contra Turcam hosti turpiter dedita seu tradita est, ad quam deinde, dum eam recuperare conatus est, satis infeliciter aliquamdiu cum maximo tamen exercitu consedit. Omnes eius provinciae haereditariae ab hoste immanissimo Turca graviter misereque afflictas, infestatas et devastatas sunt. Omnes insuper easdem illas provincias perniciosissima labe haereseos infectas aliquando repugnantes et contrarias habuit, quas tamen tandem deo adiuvante non absque miraculo sine caede et sanguine, quod multis impossibile videbatur, intra brevissimum tempus repurgavit, catholicam religionem de integro ubique restituit, quo facto multos externos in iram contra se commovit. Mox Venetos adversarios et hostes sensit, quos tamen etiam pacifica transactione facile sedavit. Hunc eundem infractum heroa brevi